

5. Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. Eccli. xxxj.

Béatus vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

Jesu coróna célsior,
Et véritas sublímiór,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne præ-
míum.

Da supplicánti cœtui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissionem críminis,
Rumpéndo nexum vín-
culi.

Anni réverso témpore
Dies refúlsit lúmine
Quo Sanctus hic de cór-
pore

Migrávit inter sídera.
Hic vana terræ gáudia,
Et luculénta prædia
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet cœléstia.

Te Christe Rex piíssime
Hic confiténdo júgiter,
Calcávit artes dæmonum,
Sævúmque avérni prínci-
pem.

Virtúte clarus, et fide,
Confessione sédulus,

Jejúna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.

Próinde te piíssime
Precámur omnes súpli-
ces :

Nobis ut hujus grátia
Pœnas remittas débitas.

Patri perénis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper sæcu-
lum. Amen.

V Justum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas. **R.** Et
osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Aña. Euge
serve bone * et fidélis,
quia in pauca fuísti fidé-
lis, supra multa te consti-
tuam, intra in gáudium
Dómini tui.

Oratio.

Deus, qui nos beáti **N.**
Confessoris tui ánnua
solemnitate lætíficas : con-
céde propítius, ut cujus
natalítia cólimus, étiam
actiónes imitémur. Per
Dóminum.

Alia Oratio.

Adésto Dómine suppli-
cationibus nostris,
quas in beáti **N.** Confesso-
ris tui solemnitate deféri-
mus : ut qui nostræ justí-
tiæ fidúciã non habé-
mus, ejus, qui tibi placuit,
précibus adjuvémur. Per
Dóminum.

Si fuerit Abbas. Oratio.

Intercéssio nos, quæsu-
mus Dómine, beáti **N.**
Abbátis comméndet : ut
quod nostris méritis non
valémus, ejus patrocínio
assequámur. Per Dómi-
num.

Si fuerit Doctor. Oratio.

Deus, qui pópulo tuo
æternæ salútis beá-
tum **N.** ministrum tribuí-
sti : præsta quæsumus, ut
quem Doctórem vitæ ha-
búimus in terris, interces-
sórem habére mereámur
in cœlis. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Euge serve bone.

Capit. Beatus vir. *supra.*

R. br. Amávit eum Dó-
minus, * Et ornávit eum.
Amávit. **V.** Stólam glóriæ
índuit eum. Et ornávit.
Glória Patri. Amávit.

V. Os justí meditábitur
sapiéntiam. **R.** Et lingua
ejus loquétur judícium.

AD SEXTAM.

Aña. Fidélis servus.

Capitulum. Eccli. xxxix.

Justus cor suum trádi-
dit ad vigilándum di-
lúculo ad Dóminum, qui
fecit illum, et in conspéctu
Altíssimi deprecábitur.

R. br. Os justí, * Meditá-
bitur sapiéntiam. Os justí.
V. Et lingua ejus loqué-

tur judícium. Meditábitur.

Glória Patri. Os justí.

V. Lex Dei ejus in corde
ipsius. **R.** Et non supplan-
tabúntur gressus ejus.

AD NONAM.

Aña. Serve bone.

Capitulum. Sap. x. b

Justum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas,
et osténdit illi regnum
Dei, et dedit illi sciéntiam
sanctorum : honestávit
illum in labóribus, et com-
plévit labóres illius.

R. br. Lex Dei ejus, * In
corde ipsius. Lex Dei.
V. Et non supplantabún-
tur gressus ejus. In corde.
Glória Patri. Lex Dei.

V. Justum dedúxit Dó-
minus per vias rectas.
R. Et osténdit illi regnum
Dei.

IN II. VESPERIS.

**Añæ et Capitulum ut in
Laudibus.** [109] Psalmi ut
in j. Vesperis de Comuni
Apostol. [2]

Hymnus.

Iste Confessor Dómini,
coléntes
Quem pie laudant pópuli
per orbem :
Hac die lætus méruit beá-
tas

Scándere sedes.

**Si non est dies obitus,
dicatur.**

Hac die lætus méruiť su-
prémus

Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmi-
lis, pudícus,
Sóbríam duxit sine labe
vitam,

Donec húmános animávit
auræ

Spiritus artus.

Cujus ob præstans méri-
tum frequéťter,

Ægra quæ passim jacué-
re, membra

Viribus morbi dómitis, sa-
lúti

Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus
obsequéťtem

Cóncinit laudem, celebrés-
que palmas;

Ut piis ejus précibus juvé-
mur

Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque
virtus,

Qui super cœli sólio corú-
scans

Totius mundi sériem gu-
bérnat

Trinus, et unus.

Amen.

¶ Justum dedúxit Dó-
minus per vias rectas.

¶ Et osténdit illi regnum
Dei.

Ad Magnif. Aña. Hic vir
despíciens * mundum et
terréna, triúmphans, divi-

tias cœlo cóndidit ore,
manu.

Pro Doctore, Aña. O Do-
ctor óptime, * Ecclésiæ
sanctæ lumen, beáte N.
divínæ legis amátor, de-
precáre pro nobis Filium
Dei.

Si occurrat celebrari Fe-
stum plurimorum Con-
fessorum non Pontificum,
Officium fit ut supra *
in Oratione et Sermone,
quæ habentur in singu-
lari, dicantur in plurali.

II. ALIÆ LECTIONES

PRO CONF. NON PONTIF.

In I. Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO I. Cap. xxxj.

E

Éátus vir, qui in-
vénťus est sine má-
cula : et qui post
aurum non ábiit, nec spe-
rávit in pecúnia et the-
sáuris. Quis est hic, et
laudábimus eum? fecit
enim mirábilia in vita sua.
Qui probátus est in illo, et
perféctus est, erit illi gló-
ria ætérna : qui pótuit
tránsgrēdi, et non est
tránsgréssus : fácere ma-
la, et non fecit : ideo sta-
bilíta sunt bona illius in
Dómino, et eleemósynas
illius enarrábit omnis Ec-
clésiá sanctorum.

¶ Euge serve bone et
fidéľis, quia in pauca fu-
isti fidéľis, supra multa te
constítuam : * Intra in
gáudium Dómini tui.
¶ Dómine quinque ta-
lénťa tradidisti mihi, ecce
ália quinque superlucrá-
tus sum. — Intra in gáu-
dium.

LECTIO II.

Cap. xxxij. c et xxxiij.

QUI timet Dóminum,
excípiet doctrínam
ejus : et qui vigiláverint
ad illum, invénient bene-
dictiónem. Qui quærit le-
gem, replébitur ab ea : et
qui insidióse agit, scanda-
lizábitur in ea. Qui timent
Dóminum, invénient ju-
dícium justum, et justítias
quasi lumen accéndent.
Qui credit Deo, atténdit
mandátis : et qui confídit
in illo, non minorábitur.
Timéťti Dóminum non
occurrēť mala, sed in-
tentatióne Deus illum con-
servábit, et liberábit a
malis. Sápiens non odit
mandáta et justítias, et
non illidétur quasi in pro-
célľa navis. Homo sensá-
tus credit legi Dei, et lex
illi fidéľis.

¶ Justus germinábit sic-
ut lílium : * Et florébit in
ætérnum ante Dóminum.

¶ Plantátus in domo Dó-
mini, in átriis domus Dei
nostri. — Et florébit.

LECTIO III. Cap. xxxiv. b

SPÍRITUS timéntium
Deum quæritur et in
respéctu illius benedicé-
tur. Spes enim illórum in
salvántem illos, et óculi
Dei in diligéťtes se. Qui
timet Dóminum nihil tre-
pidábit, et non pavébit :
quóniam ipse est spes
ejus. Timéntis Dóminum
beáta est ánima ejus. Ad
quem respícit, et quis est
fortitúdo ejus? Oculi Dó-
mini super timéťtes eum,
protéctor poténtiæ, firma-
méťtum virtútis, tégimen
ardóris, et umbráculum
meridiáni, deprecátió of-
fensiónis, et adjutórium
casus, exáltans ánima,
et illúminans óculos, dans
sanitátem, et vitam, et
benedictiónem.

¶ Iste cognóvit justí-
tiam. [102]

In II. Nocturno.

Ex libro Morálium sancti
Gregórii Papæ. Lib. 10.
cap. xvj. in cap. xij. Job.

LECTIO IV.

Eridétur justi sim-
plicitas. Hujus
mundi sapiéťtia
est, cor machinatióibus

tégere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subiecti et timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina querere, adæpta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere: cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.

℞. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a ductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℞. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.
AT contra, sapientia ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare; bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere; nullam injuriæ ultionem querere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur: quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio stultum putatur: et quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo, quam mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro malevolentibus orare, paupertatem querere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere?

℞. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℞. Induit

eum Dominus lorica[m] fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vj.
Cap. xvij. post initium.

Lampas contempta apud cogitationes divitum. Sæpe contingit, ut electus quisque, qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hic adversitate deprimatur: non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei obsequentium frequentia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat: a cunctis vero despicabilis cernitur, et hujus mundi gratia indignus aestimatur: sed tamen ante occulti iudicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruscet: honorari metuit, despici non refugit: corpus continentia afficit, sola in animo dilectione pinguescit: mentem semper ad patientiam præparat, et erectus pro justitia, de perceptis contumeliis exultat: afflictis ex corde compatitur, de bonorum prosperitatibus quasi de propriis lætatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, et inquisitus quodlibet

eloqui dupliciter ignorat. ℞. Iste homo. [105]

In III. Nocturno.
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. xij. d

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. liv. in Luc. xij.

Usillum gregem electorum, vel ob comparationem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate jam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate vult crescere, et ad promissum regnum humilitate pervenire. Ideoque ejus labores blande consolatus, quam regnum Dei tantum querere præcipit, eisdem regnum a Patre dandum complacita benignitate promittit.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse

intercedat pro peccatis omnium populorum. *℞.* Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse.

Lectio viij.

Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Nolite, inquit, timere, ne propter regnum Dei militantibus, hujus vite necessaria desint: quin etiam possessa, propter eleemosynam vendite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Domino suis omnibus spretis, nihilominus post hæc labore manuum, unde et victum transigere, et eleemosynam dare queat, operatur. Unde gloriatur Apostolus, dicens: Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi: ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.

℞. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus domi-

num suum, quando revertatur a nuptiis. *℞.* Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Facite vobis sacculos, qui non veterascunt: eleemosynas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat. Ubi non hoc præceptum esse putandum est, ut nil pecunie reservetur a sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggerendæ: cum et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens; sed ne Deo propter ista serviatur, et ob inopiam timorem justitia deseratur. Te Deum. 19.

*Pro Abbatibus.**In III. Nocturno.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xix. d

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus om-

nia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. in Matth. cap. xix.

Randis fiducia: Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quaerebat: et tamen loquitur confidenter, Relinquimus omnia. Et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est: Et secuti sumus te. Fecimus quod jussisti: quid igitur nobis dabis praemii? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis: quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Non dixit, Qui reliquistis omnia: hoc enim et Crates fecit philosophus et multi alii divitias contempserunt: sed, Qui secuti estis me: quod proprie Apostolorum est, atque credentium.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum:

* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *℞.* Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse intercedat.

Lectio viij.

In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ (quando et mortui de corruptione resurgent incorrupti) sedebitis et vos in solis judicantium, condemnantes duodecim tribus Israel: quia vobis credentibus, illi credere noluerunt. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Locus iste cum illa sententia congruit, in qua Salvator loquitur: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem a patre suo, et matrem a filia, et nurum a socru: et inimici hominis domestici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et praedicationem Evangelii, omnes affectus

contempserint, atque divitias et sæculi voluptates : isti centuplum recipient, et vitam æternam possidebunt.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et vos. **Gloria Patri. Et vos.**

Lectio ij.

EX occasione hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus, et vitam æternam esse reddendam : non intelligentes, quod, si in ceteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpido : ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est : Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritalia recipiet : quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparatur.

Te Deum laudamus. 19.

II. ALIA HOMILIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xj. d

IN illo tempore : Respondens Jesus dixit : Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini
Episcopi.

Serm. x. de Verbis Dñi.

Venite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia caritatis. Quid ergo dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Quærent forte, qua mercede vocati sunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mun-

do mirabilia facere, et mortuos suscitare; sed, Quoniam mitis sum, et humilis corde.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum : * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. — Ipse intercedat.

Lectio vij.

Magnus esse vis? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit : qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo et fabrica ante celsitudinem humiliatur, et fastigium post humiliationem erigitur.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris : * Et

vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. — Et. **Gloria Patri. Et.**

Lectio ij.

Quod est fastigium construendæ fabricæ, quam molimur? quo perventurum est cacumen ædificii? Cito dico, usque ad conspectum Dei. Videtis quam excelsum est, quanta res est conspicerere Deum. Qui desiderat, et quod dico, et quod audit intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facile illos vident : sed eos vident, qui oculos habent, et non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viventis, et viventis.

Te Deum laudamus. 19.

III. ALIA HOMILIA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xix. d

IN illo tempore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia, et

secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et reliqua.

De Homíliá venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Natali S. Benedicti.

QUO sunt órdenes electórum in iudicio futúri : unus iudicántium cum Dómino, de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia, et secúti sunt illum : álius iudicandórum a Dómino, qui non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen quæ habébant, quotidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant : unde et audíturi sunt in iudicio: Veníte benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre : sitívi, et dedístis mihi bíbere.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminus : * Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et permanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viij.

SED et reproborum duos ibi futúros órdenes Dómino narránte comperimus : unum eórum, qui fidei cristiánæ mystériis initiáti, ópera fidei exercére contémnunt, quibus in iudicio testátur : Discédite a me maledícti in ignem ætérnum, qui præparátus est diabolo, et ángelis ejus : esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem et mystéria Christi vel nunquam suscepére, vel susceptam per apostásiam deseruére : de quibus dicit : Qui autem non credit, jam iudicátus est : quia non credit in nómine unigéniti Filii Dei.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. **Gloría** Patri. Et vos.

Lectio ix.

Verum his cum timóre et pavóre débito paulisper commemorátis, ad

lætíssima pótius Dómini et Salvatóris nostri promissa convertámus auditum. Videámus quæ tantæ grátia pietátis : non æternæ tantúmmodo vitæ præmia suis sequácibus, sed et præsentis múnera pollicétur exímia. Et omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter

nomen meum, céntuplum accípíet, et vitam ætérnam possidébit. Qui enim terrénis afféctibus sive possessionibus pro Christi discipulátu renuntiáverit, quo plus in ejus amórem profécerit, eo plures invéniet, qui se intérno suscipere afféctu, et suis gaudeant sustentáre substántiis.

Te Deum laudámus. 19.

